

T De esse circuli accidentali, ac domibus cœli duodecim.
 Totum hoc nostrum supernum, atq; inferius positum hemispærium in partes duodecim (licet diuersimode) æquales tamen secundū quid diuidi decernitur, quas domos, ædes, ac domicilia appellant. Communior tamen & rationabilior assertio quatuor cœli quartas horizonte, ac meridiano interceptas in partes ternas iuxta quatuor alios circulos per puncta sectionum amborum prædictorum circulorum ductos, & sic cœlum totum in duodecim partes æquales in equatore secāt, inæqualia zodiaci interstitia iuxta positionem circulorum sex distinguentium (coasumptis horizonte, ac meridiano) efficiens. Initiū uero diuisionis istius in oriente ab horizonte inferius statuunt quem horoscopum, uel ascendens uocant, eo quòd de inferiori ad superius hemispærium sese tollit. Hunc etiam, cuspidem, cardinem, aut angulum orientis communiter appellant, cui secunda succedit, dehinc tertia domus subsequitur. Sicq; post angulum quemlibet quartæ domus .s. septimæ, ac mediæ cœli cuspidem, singula succedens, ac reliquæ quatuor cadentes domus succedentes ipsas, subsequuntur, quæ duodecim in totum numeratim efficiuntur.

Quarta igitur pars, quæ est ab ascendente gradu superius uidelicet .12.11. ac, 10. domus orientalis dicitur, masculina puerilis, uernalis quoque, & sanguinea.

Quarta uero quæ est à gradu decimæ usq; ad gradum occidentis. uidelicet nona, octaua, & septima, meridiana, fœminina, æstiuæ, iuuenilis, & cholericæ.

Quarta alia quæ est ab occidente usq; ad gradum quartæ domus, uidelicet, sexta quinta, & quarta, occidentalis habetur masculina, autumnalis, melancholica, & senilis.

Quarta denique quæ est à quarta domo ad ascendens: uidelicet tertia, secunda & prima septentrionalis, fœminina, hyemalis, phlegmatica & decrepita.

Ascendens medietas eadem est, quæ à gradu decimæ usq; ad inum terræ continetur.

Descendens, quæ à gradu ipso mediæ cœli per septimam usq; ad gradum prædictum mediæ noctis habetur.

Dextera cœli uocatur, quæ est supra terram uidelicet, 12. 11. 10. 9. 8. & 7. domus.

Sinistra cœli quæ est sub terra, uidelicet, prima 2. 3. 4. 5. & 6. domus.

Dextera ascendētis: est pars cœli, quæ est ab ascendente ad septimam sub terra.

Sinistra ascendētis, quæ est ab ascendente ad septimam supra terram.

Dextera orientis est pars media hemispærii ab oriente ad occasum per septentrionem.

Sinistra orientis pars est altera itidem supra terram per meridiem ab ascendente usque ad angulum occidentis.